VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ Aragonum, & Scribania Francisci Lucæ de la Sala, Scribæ principalis illius, habito & actitato: intitulato Processus Ioannis Blasco, super Apprehensione.

IN Processu & causa in Curia Domini Iustitię Aragonum habito & actitato, intitulato Processus Ioãnis Blasco, super Apprehensione. Interuenientibus in Camera Consilij eiusdẽ Curiæ Illustrissimo Domino Don Augustino de Villanueua & Diez, milite Maiestatis Domini nostri Regis Consiliario, ac Iustitia Aragonum; & Illustribus Dominis Hieronymo Garcia de Benauarre & Prad, Hieronymo Torrero & Embun, Didaco Canales, Ioanne Chrisostomo de Exea, & Hieronymo del Caluo, eius Locumtenentibus. Existenteque dicto, & præintitulato processu in deliberatione super sententia diffinitiua in eodem ferenda: tàm dictus Dominus Hieronymus del Caluo causæ Relator, quàm cæteri Domini Locumtenentes concordes: Fuerunt voti, & opinionis. Quod tenetur, & debet pronuntiare, & mandare fieri contenta in propositione Ioannis Blasco principalis Ludouici Arrago procurat. & hoc respectu medietatis bonorum apprehensorum communiter & pro indiuiso, confrontatorum in fine appellitus præsentis apprehensionis sub numeris, primo, tertio, quarto, & quinto. Respectu verò confrontatorum sub numero secundo in totum; cum expensis: iuribus suis durantibus. Et eis finitis; Contẽta in propositione Christophori Roberto principalium Ludouici Arrago procurat. Necnon etiam contenta in propositione Ludouici Pedro princ. Petri Gascon procurat. Respectu medietatis bonorum apprehensorum communiter, & pro indiuiso (demptis bonis sub dicto numero secundo confrontatis) Præstita prius per dictas partes respectiuè, cautione forali: Cęteris propositionibus reiectis, & repulsis: Reseruatis iuribus reseruari supplicatibus: Neutram partium in expensis, demptis prædictis taxandis condemnando; Cætera supplicata locum non habere. EX EO, & aliàs recipitur propositio dicti Ioannis Blasco, quoniam constat Magdalenam Portoles matrimonium contraxisse in Villa Alcagnitij cum Doctore Ioanne Moreno, & sic secundum forales dispositiones, ad illam pertinere apparet medietatem bonorum constante matrimonio titulo oneroso adquisitorum. Constat etiam dictam Magdalenam, instrumento mediante, se recognouisse habere in depositum, à Christophoro Roberto, summam, & quantitatem

quadraginta mille solidorum Iaccensium. Constat etiam prædictum Christophorum Roberto, instrumento etiam mediante recognouisse habere in depositum à prædicto Ioanne Blasco summam, & quantitatem tercentorum solidorum Iaccensium. Ex quibus sequitur propositionem dicti Ioannis Blasco admiti debere in medietate bonorum apprehensorum, cum ea constet à prædictis coniungibus acquisita fuisse constante matrimonio. Bona verò sub numero secundo confrontata in totum adiudicantur dicto Ioanni Blasco apprehendenti. Quia Ludouicus Pedro non probauit possessorem illorum esse, nisi vnico teste: & cum in processu non constet de alio possessore in dubio apprehendenti adiudicantur, cum secundum forales dispositiones neutram non possit pronuntiari. Neque obstabit dicere prædictam Magdalenam Portoles comandam in fauorem Christophori Roberto, ea in matrimonio adhuc existente concessisse, absque licentiam viri; & sic nullam esse. Quia respondetur licentia viri in obligationibus vxorum, non desiderari ad validitatem, in præiuditium iurium earum: sed vt iura mariti periudicentur: & cum in præsenti Ioannes Blasco, apprehendens soluto iam matrimonio veniat ad nomen debitoris Christophori Roberto in medietate bonorum vxori pertinentium; obtinere debet. Neque obstabit etiã, quod ad exclusionem prædictæ Magdalenæ allegatur. Videlicet illam in pactis dotalibus renuntiasse viduitatem meliorationis, vulgo Auentajas forales: qua renuntiatione, licet iure forali atento, non censeatur renuntiatum ius in bonis constante matrimonio adquisitis: tamen cum hoc ex immemoriali consuetudine dictę Villę Alcagnitij ita intellectũ & practicatum videatur, prędictis verbis renuntiationis. Quia respondetur, quod prærerquam testes de prædicta immemoriali deponentes non probant de consuetudine, quia actus particulares & positiuos, in quibus in contradictorio iuditio ita obtentum, secundum consuetudinem & intelligentiam dictæ Villę Alcagnitij non proponantur etiam si proponerentur, non releuaret. Quia prædicta consuetudo & stillus contra forum vniuersalem introductus, nullus esset; quia licet stillus Curiarum seruandus sit; de foro tamen illud est verum, quando talis stillum non aborret forum expressum in contrarium: cum stillus ex opinione foristarum non possit tollere forum: & hoc maxima ratione fulcitum; quia si stillo, aut consuetudine particulari posset tolli forus vniuersalis; esset in manu vniuscuiusque Vniuersitatis abrogare omnes foros: quod quantum sit absurdum satis liquet. Recipitur etiam propositio dicti Christophori Roberto, quia cum ostendat venditionem per prædictam Magdalenam Portoles in sui fauorem factam omnium iurium sibi pertinentium virtute suorum pactorum dotalium, respectu meliorationum foralium; & ex prædictis constet illi pertinere: meritò prædictus Christophorus Roberto in medietate bonorum apprehensorum admititur; cum ea ex meritis processus constet, adquisita constante matrimonio fuisse. Admititur etiam propositio dicti Ludouici Pedro in alia medietate bonorum apprehensorum communiter, & pro indi-

indiuiso, demptis bonis sub numero secundo confrontatis. Quia ex processu constat tempore apprehensionis possessorem esse bonorum apprehensorum, dempto dicto numero secundo. Aliæ verò propositiones reijciuntur, quia vel non probarunt, vel non publicarunt, & aliàs attentis contentis.

IN Processu & causa in Curia Domini Iustitię Aragonum habito & actitato, intitulato Processus Ioãnis Blasco mercatoris, habitatoris Ciuitatis Cæsaraugustę, super Apprehensione. Interuenientibus in Camera Consilij eiusdē Curiæ Illustribus Dominis Hieronymo Garcia de Benauarre & Prad, Hieronymo Torrero & Embun, Didaco Canales, Ioanne Chrisostomo de Exea, & Hieronymo del Caluo Locumtenentibus Illustrissimi Domini Dō Augustini de Villanueua & Diez, militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum. Existenteque dicto, & præintitulato processu in deliberatione super confirmatione, aut reuocatione sententiæ diffinitiuæ in dicto processu latæ: Tàm dictus Hieronymus del Caluo causæ Relator, quàm cæteri Domini Locumtenentes desuper nominati concordes: Fuerunt voti, & opinionis. Quod tenetur, & debet pronuntiare, & mandare fieri contenta in propositione Ioannis Blasco principalis Ludouici Arrago procurat. Et hoc respectu medietatis bonorum apprehensorum communiter, & pro indiuiso in fine appellitus præsentis apprehensionis confrontatorum, cum expensis, iuribus suis durantibus. Et eis finitis; Contēta in propositione Christophori Roberto principalium Ludouici Arrago Procurat. In alia vero medietate bo norum apprehensorum, communiter & pro indiuiso mandare fieri contenta in propositione Ludouici Pedro princ. Petri Gascon procurat. Præstita prius per dictas partes respectiue, cautione forali: Alijs propositionibus reiectis, & repulsis: Reseruatis iuribus reseruari supplicātibus: Neutram partium in expensis demptis prædictis taxandis condemnando: Cætera supplicata locum non habere, quascunque pronuntiationes in contrarium factas reuocando. EXEO, & aliàs medietatis bonorum in secundo numero confrontatorū in fine appellitus præsentis apprehēsionis admititur à Ioanne Blasco princ. Ludouici Arrago Procurat. Quia licet verum sit, & secundum forum; neutram in processu apprehensionis non posse pronuntiari; & nullo probante possessionema, pprehendenti adiudicandam esse: cum ille iam decretum prouisionis appellitus habuerit. Sed hoc verum est ipso apprehendente petente. Vnde fit, quod cum Ioannes Blasco, neque in appellitu, neque in propositione non petierit nisi medietatem bonorum apprehensorum, videtur non posse ei bona secundi numeri in totum concedi, quia vltra petita esset disponere: Me-

dictas autē quę Ioanni Blasco non admititur, tribuitur Ludouico Pedro; qui licet possessionē illorum bonorū secundi numeri, vnico tantum teste probauerit & secundum regulas probationis non probasse dicendum sit. Quia tamen ille omnia bona apprehensa petit sibi restitui; adminiculando petitionem probatione vnius testis, illi medietatem prædictam nobis iustum est tribuere. Et addendo motiuis desuper præstitis circa sententiam diffinitiuam per nos in præsenti processu latam. Ideò mandatur fieri contenta in propositione dicti Christophori Roberto. Quia constat Magdalenam Portoles à qua causam habet; constante matrimonio dominam, & possessorem fuisse communiter & pro indiuiso, cum Doctore Ioanne Moreno eius viro bonorum apprehensorum. Et sic illum ea in communione, & consorcio habuisse cum prædicta Magdalena: Et sic ad eius vtilitatem possedisse. Ex quo sequitur eam mediante socio possessionem conseruasse rei communis certum est: quam cum in bonis haberet, & in eiusdem comercio illam cedere, & in alium transferre potuit. Ex quo sequitur Christophorum Roberto eius emptorem, constat possessionem habere, ex consequēti in præsenti articulo obtinere debere. Neque obstabit dicere secundum foros, & practicorum sententias, in instrumen tum venditionis possessionem non transire habilem ad obtinendum in hoc articulo: Et si venditor in possessione demanserit, emptor aduersus eum obtinere non poterit. Quia respondetur, hoc intelligi debere in terminis simplicibus: cęterum hic sumus in venditione, quę etsi actualiter in possessione non esset tempore venditionis; quia tamen, organo est ministerio alterius consortis, actualiter posside re censeatur: meritò eius emptor in hoc articulo obtinere debet. Quia licet possessio regulariter per instrumentum, & clausulam Præcarij; & constituti non transeat habilis ad obtinendum in hoc iudicio: Tamen si in instrumento expressè dicatur, vt in præsenti: omnis possessio existens in venditore transit in emptorem; maxime contra illum. Neque etiam obstauit dicere Doctorem Ioannem Moreno constante matrimonio bona apprehensa propter nuptias Clare Moreno suæ nepti cum Ludouico Pedro copulando post mortem donasse: & Ludouicum post mortem aui suæ vxoris, non titulo consortij cum Magdalena Portoles, sed titulo proprio tempore apprehensionis possedisse; & sic possessionem consortij introuertisse, & ex cōsequenti obtinete debere in hoc articulo. Quia respondetur; communionem, seu consortium Magdalenæ Portoles cum suo viro, rerum constante matrimonio adquisitarum; vsque ad diuisionem durare; quæ cum nō appareat dicendum est Ludouicum Pedro viri cessionarium, in communione existere: & ex consequenti eius ministerio Magdalenam possidere. Neque hijs obstabit dicere prædictum Ludouicum Pedro in propositione, se cum iustis, & iustissimis titulis possedisse assecurasse: & sic alio titulo quam consortij. Quia respondetur; quod licet in propositione hoc ita dicat, in Replica tamen titulum Donationis propter nuptias prædictæ proponit: & ita allegando illum titulum non adest introuersio possessionis; Quia præsumitur illum possidere titulo quo allegat: & cum

suc-

successores semper præsumantur eodem modo possidendi possidere, quo sui autores; sequitur possessionem mariti continuari in successorem cessionarium cum eadem qualitate: & sic Magdalenam prædictam mediante Ludouico Pedro possidere: & ex consequenti ex prædictis dictum Christophorum Roberto obtinere, debere, & aliàs attentis, contentis.

Sig ✠ num mei Augustini Perez Ciuis Ciuitatis Cæsaraugustæ, & in eadem domiciliati authoritateque Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Secretarij substituti Consilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, pro magnifico Ioanne Martino de Mezquita Scribæ principalis eiusdem Curiæ, qui huiusmodi vota, & motiua à libro motiuorum dicti Consilij, de anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, vbi continuata, & descripta existunt fideliter sumpta, & collationata extraxi, & signaui.